Ferdinandus

Ad perpetuam rei memoriam, sicut proprium Caesareae benignitatis clementia pie consuevit relevare oppressos, debiles restaurare, et lapsos corrigere sic fidelibus, et subiectis generosis, favente malitia temporis suis suorumque coniectura probabili passis dispendia, dignis excitatur pro qualitate negotiorum ac temporum illa reprimendo eorumque damnis gratioso compendio subvenire. Quapropter Nobilium Morelli filii quondam Pauli, Joannis Christophori filii quondam Jo. Gasparis, et Stephani filii quondam Bonifatii Marchionum Malaspinae di Mulatio etc., et Sacri Romani Imperii fidelium dilectorum humiliter oblata nostrae maiestati petitio continebat, ut eisdem, ac eorum heredibus et successoribus legitimis omnia, et singula privilegia ipsis, et maioribus suis a divis Imperatoribus, et Regibus praedecessoribus nostris praesertim dicto Morello, et Jo. Christophoro super castro Mulatii, et eidem ac eidem dicto Stephano super castris Podenzani et Bollani et dicto Jo. Christophoro super castro ~~Mulatii, et eidem~~ Groppuli, et supradicto Stephano super castro Madrognani in agro Lunensi cum omnibus, et singulis castris, curtibus villis, aquis, molendinis, pascuis, silvis, piscationibus, aquarumdecursibus, gabellis, iuribus libertatibus, emolumentis, et honoribus, iurisdictionibus, quae a Sacro Romano Imperio in feudum obtinent concessa, et in quorum pacifica possessione nunc sunt, vel alias dicti eorum antecessores fuerunt, et ad eos sunt legitime devoluta, vel etiam in quorum possessione non sunt dummodo sint eis ablata, vel eorum antecessoribus vi et violentia, vel alias indebite, et ius in illis sibi competere dignoscat, quorum quidem privilegiorum maxima pars, aut bellorum iniuria dispersa, aut igne absumpta est, confirmare ratificare et si opus sit de novo concedere atque ipsos de eisdem castris et terris cum eorum iuribus, ut supra investire dignaremur.

Nos igitur honestae huiusmodi petitioni benigne suscepto volentes ipsorum Marchionum fidei, et devotioni gratia, et liberalitate nostra correspondere ex nostra certa scientia animo deliberato, et sano ad hoc accedente consilio, et nostrae Caesareae potestatis plenitudine tenore praesentium praedicta omnia, et singula privilegia in omnibus suis punctis, et clausulis confirmamus, ratificamus, et approbamus, eosdemque Morellum

Scrive concernenti
Le tasse messe dali
Impd.i in diversi
tempi è note di
vessei di q.ti Popoli
fanno i marchesi
Malaspina